



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

33. Gildradvs confessarius aiens de pœnitente, quod sit scrupulosus, non violat sigillum, si hoc ex modo tantùm confitendi advertit: secus si scrupulositas fuit materia confessionis saltem in obliquo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

dominus per ultimum eius furtū graue damnum, quod hactenus non patiebatur. VII. Si denique Furius post ablatam materiam gravem insuper furatus fuerit levem, non fecisse eum novum peccatum sive mortale sive veniale, sed prius reddidisse gravius. Ita recenscit. *Auth. n. 44. contra Dicastillum, Sanch. Bonac. Filliut. & alios, quia peccatum illud pro obiecto habet tam priorem summam, quam novam materiam ablatam, quæ coalescunt in vnum damnum.*

Ad primum in contrarium dicimus, singula quidem distributivè esse levia, non tamen copulativè seu coniunctim. Ad secundum negamus, ex venialibus fieri mortale, cum ipsa non uniantur inter se, sed solum eorum ablatio, ratione cuius acceptio ultima est determinatio ad rem gravem. *Arriag. D. 48. de peccat. num. 24.*

XXXIII. *Gildradus Presbyter in colloquio cum alijs, dicit Gilbertum, cui est à confessione, esse virum scrupulosum, ceterà bonum. Queritur. An violet sigillum?*

Affirmant Coninck, Granad. Tamburin. *opusc. de confess in append. cap. 3. n. 17. & alij. Negant Marchant. Martin. à S. Iosepho, & alij quos refert & sequitur Diana. P. 10. Tr. 12. R. 24.*

Resp. Distinguendo cum Card. de Lugo *Tom. de Pœnit. D. 23. n. 6. Gildradum violare, sigillum*

figillum, si Gilbertus scrupulositatem confiteatur, aut ad declaranda peccata, vel conscientiam afferat, quia sic in obliquo est materia confessionis: Non violare, si scrupulositas non cognoscatur ex relatione, sed ex modo confitendi advertatur, quia sic nihil in confessione auditum reuelatur; quamvis Confessarij prudenter etiam ab hoc abstinere debeant, ne vlllo modo Sacramentum pœnitæ reddant odiosum. Atque sic satisfit diversis Authorum opinionibus.

XXXIV. *Golo lascivus Iuvenis turpe desiderium concipit erga Macrinam paris levitatis puellam, quod desiderium, ut explere valeat, domo suâ exit, domum amasia petit, & per quatuor ferè horas occasionem querit conveniendi illam, sepe interea prauâ suâ intentione iterans, tandem reperit eâ post obscœnum colloquium ad copulam devenit, & tam ante quàm post illam varios libidinosos tactus exercet. Queritur. Quot peccata Golo commiserit, & quomodo in confessione se explicet?*

Videtur plura comisisse distinctè in confessione explicanda. Primò quia plures sunt interruptiones, & quidem longiores vno quadrante, aut mediâ horâ, quod spatium ad multiplicationem requirit Fagundez L. 3. in secundum præcept. Ecclesie c. 5. n. 15. Secundò quia voluntariæ interveniunt intermissiones actûs, quos ad multiplicatione sufficere docent Vasq. l. 2. D. 75. cap. 2. Filliuc, Tr. 21. c. 8. n. 316. alij.

Ter-